

bis ab utroque dictorum principum commissa, utrumque dictor principum ad omnia et singula præmissa fideliter observanda et perimplenda per præsentibus adstringimus et obligamus.

Item, declaramus et ordinamus, quod uterque Regum prædictorum omnia et singula capitula præmissa per suas litteras patentes magnis suis sigillis sigillatas et manibus suis subscriptas retificabit, confirmabit et approbabit, ac per easdem litteras confirmatorias ad omnia præmissa et singula in eis contenta fideliter perimplenda bona fide in vi verbo regio se obligabit: quas quidem litteras sic ut præfertur factas, subscriptas et sigillatas, in civitate Londonensi infra mensem a data præsentium proximum sequentem, mutuo tradent et permutabunt.

*Sequuntur tenores comissionum.*

Henricus Dei gratia rex Angliæ et Franciæ ac dominus Hiberniæ, universis præsentibus litteras inspecturis salutem. Sciat quod illustrissimus et potentissimus princeps Franciscus rex Francorum Cristianissimus, dux Mediolani et dominus Ianuæ, frater consanguineus et confæderatus nostrus carissimus, de legalitate, prudentia et provida circumspectione reverendissimi in Christo patris et domini Thomæ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis archiepiscopi Eboracensis ac de latere legati plene confidens, ipsum verum legitimum ac indubitatum procuratorem commissarium ac specialiter deputatum suum fecit constituit nominavit, per litteras suas patentes manu sua subscriptas magno suo sigillo sigillatas. Date Cognatii, die 23 mensis, Februarii anno Domini millesimo quingentesimo decimo nono et regni sui sexto, dans et concedens eidem Reverendissimo primati, præfatarum litterarum tenore plenam et omnimodam potestatem etc.

270 Franciscus Dei gratia Francorum rex Mediolanensis dux et Genuæ dominus, universis præsentibus litteras inspecturis salutem. Notum facimus quod nos de legalitate et prudentia ac provida circumspectione reverendissimi in Christo patris Thomæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis archiepiscopi Eboracensis ac in regno Angliæ primatis et de latere legati carissimi et dilectissimi amici nostri plene confidentes, ipsum nostrum verum legitimum ac indubitatum procuratorem actorem commissarium ac specialiter deputatum fecimus constituimus et nominavimus per præsentibus, dantes et concedentes eidem tenore præsentium plenam et omnimodam

potestatem auctoritatem facultatem ac mandatum specialem pro nobis et nomine nostro, cum excellentissimo ac potentissimo principe Henrico eadem gratia regnorum Angliæ et Franciæ carissimo et dilectissimo fratre consanguineo et confæderato nostro carissimo, de et supra forma, tempore, loco etc.

In quorum omnium et singularum et præmissarum fidem et testimonium, nos Thomas cardinalis antedictus præsentibus litteris nostris manu nostra signatis, magnum sigillum nostrum duximus apponendum. Datæ in domo solitæ nostræ residentiæ prope Vallimonasteri, die XII Martii millesimo quingentesimo decimo nono.

*Exemplum articulorum mutui congressus inter Serenissimum Angliæ regem et Catholicam Majestatem.* 270\*

Universis et singulis ad quorum notitias præsentibus litteræ pervenerint, nos Thomas permissione Divina Duelmensis episcopus, custos privati sigilli, Cuthbertus Turiscal vice cancellarius et custos rutulorum, Richardus Pacens primarius secretarius, et Thomas Morus consilarii, oratores, procuratores, legati et commissarii illustrissimi domini nostri Henrici Dei gratia regis Angliæ et Franciæ et domini Hiberniæ sufficienter et legitime deputati salutem. Cum serenissimus et excellentissimus Catholicus rex Romanorum, Hispaniarum, utriusque Siciliæ etc., a reverendissimis et illustrissimis Sacri Romani Imperii electoribus Romanorum rex futurus Imperator iamdudum sit electus atque ob eam causam ab Hyspanis ad Germaniam ad recipiendam de more coronam in Aquisgrano et alia Romanum Imperium concernentia, marittima via iter arripere quamprimum secundus ausiliaverit ventus in animo habuerit atque intendat, cumque navigandum sibi erit oras et littora regni et dominationis illustrissimi et potentissimi regis Angliæ fratris sui carissimi; qui quidem reges propendeant quam veteri necessitudine et animorum firma coniunctione præclarissime Hispaniarum, Angliæ et Burgundiæ domus colligatæ invicemque indissolubiter coniunctæ fuerint, et opportunitatem se mutuo videndi et colloquendi quemadmodum summopere cupiunt vehementerque affectant nonmodo ad renovandam augendamque veteram uniusque familie amicitiam, sed etiam ad conferendum super his quæ ad comunem eorum honorem, commodum et securitatem ac totius reipublicæ cristianæ tranquillitatem cedere possunt; et ad eum finem præfatus